



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas Missalis Et Breviarii Romani

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad
præsens emanatis

Complectens III. & IV. Partem Commentariorum Gavanti in Rubricas
Missalis

Merati, Gaetano Maria

Augustæ Vindellicorum, 1740

VD18 10783695-002

De Defectibus Materia. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39964

Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

Tit. II. De Defectibus Materix.

I. Rubr. pag. 152. & Gavant. ibid. col. 1. lit. a *Sit coram Sacerdote, &c.*) Materia consecranda juxta dispositionem hujus Rubricæ, & mentem omnium Doctorum, debet esse Sacrificanti moraliter præfens, ita ut consecrata non censeatur, si non sit coram Sacerdote, sed à tergo, aut post interjectum parietem, aut sub mappa, vel Corporali latens, aut magno intervallo distans; quia in his casibus non verificarentur illa pronominæ demonstrativa, quæ habentur in formulis utriusque Consecrationis: *Hoc est Corpus meum; Hic est Calix, &c.* Hinc tamen non

fit, ut materia consecranda præ manibus teneri debeat, nec est necesse, ut sonus verborum ad eam perveniat, neque ut actus videatur, quia Hostiæ consecratæ in Pyxide clausa super Corporali existente valide sunt consecratæ, quamvis juxta Rubricas debeat Sacerdos aperire Pyxidem, in qua Particula consecrandæ posita sunt, & dum sit oblatio, & dum verba Consecrationis profertur. S. Thomas in 4. dist. 2. quæst. 8. art. 1. Bonacina disp. 4. quæst. 8. punct. 6. Layman lib. 5. tract. 4. cap. 2. sect. 7. Wiggers de Sacram. quæst. 74. art. 2. dub. 1.

Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

Tit. III. De Defectu Panis.

I. Gavant. pag. 152. col. 1. lit. b *Vult esse triticeum, &c.*) Ceruissimum est, panem, qui est materia consecranda in Sacrificio Eucharistico, debere esse triticeum, non solum ex necessitate præcepti, sed etiam ex necessitate Sacramenti, ita ut in alia materia facta Consecratio irrita sit: ideoque panis, qui conficitur ex leguminibus, ut pils, fabis, lentibus, & aliis similibus, non est materia idonea ad consecrandum Corpus Christi; sic etiam panis, qui conficitur ex fructibus arborum, ut ex amygdalis, castaneis, glandibus, neque etiam ille, qui fit ex hordeo, oriza, milio, &c. est materia apta hujus Sacramenti, sed is solus est idoneus ad consecrandum, qui conficitur ex tritico: constat enim, Christum Dominum in pane triticeo Sacrificium celebrasse, & Sacramentum Eucharisticum instituisse. Panis autem iste triticeus debet esse coctus per modum assationis, ut in forno, aut intra calidi ferri laminas, sicut modò coquantur Hostiæ, quæ consecrantur, aut alio simili modo;

unde cruda pasta, vel etiam friza, aut elixa in aquis, non est materia apta Sacramenti: rursum pasta butyro, lacte, oleo, aqua rosacea, vel simili non elementari liquore subacta, & tosta, non est pariter materia idonea hujus Sacramenti, quia tales pastæ, non sunt verò, & propriè panis usualis, sed aliud quoddam obsonii genus, quocumque nomine illud appelletur. Wiggers *suprà loc. cit.* Layman *suprà loc. cit. cap. 2. assert. 3.* Bonacina disp. 4. quæst. 2. punct. 1. num. 3. Hostia rubea, qua epistolas solemus sigillare, admixta scilicet cinnabrio, est materia dubia, & multorum judicio invalida, quia per illam mixtionem alteratur notabiliter, & extrahitur à ratione panis usualis; quando autem materia est verè dubia, sicut est panis admixtus cum granis alterius generis in magna quantitate, ita ut dubitetur, utrum possit censei panis verè triticeus, tunc non licet ea uti, sed potius à Sacrificio est abstinendum, undecumque illud dubium oritur, sive ex permixtione eorum, quibus constat, sive